



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

Formulae exorcismorum & excommunicationum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

FORMVLÆ VETERES

EXORCISMORVM ET EXCOMMVNICATIONVM.

Stephanus Baluzius Tutelensis in unum collegit, magnam partem nunc primùm edidit, reliquas emendavit.

CAPITVLA.

- | | |
|---|---|
| 1. B enedictio vel exorcismus aquæ calidæ seu frigidæ in qua manus ad iudicium mittitur. | 12. Qualiter Episcopus excommunicare infideles debeat. |
| 2. Iudicium aquæ frigidæ. | 13. Item alia excommunicationis allocutio. |
| 3. Exorcismus aquæ ad iudicium Dei demonstrandam. | 14. Item alia terribilior excommunicatio. |
| 4. Adjuratio ferri vel aqua ferventis. | 15. Excommunicatio hominum Balduini Comitum Flandriæ. |
| 5. Exorcismus panis hordeacij vel casti. | 16. Excommunicatio Ragenardi Comitum Senonensis. |
| 6. Ordo iudicij quo rei aut innoxij probantur ferro candenti. | 17. Excommunicatio quam Suniarius Episcopus Helenensis fecit adversus invasores rerum ecclesiasticarum. |
| 7. Collectæ ad mala furta reprimenda. | 18. Excommunicatio quam Salla Episcopus Vrgellensis fecit adversus invasores rerum ecclesiasticarum. |
| 8. Probatio à cunctis furtis probandis. | 19. Item de eadem re. |
| 9. Exorcismus ad caldaria sive ad aqua. | |
| 10. Resolutio omnium maleficiorum. | |
| 11. Ad revocandam examen apum dispersum. | |

Incipit benedictio vel exorcismus aquæ calidæ seu frigidæ in qua manus ad iudicium mittitur.

I. **C**um homines vis mittere ad probationem iudicij aquæ calidæ, primùm fac eos intrare cum omni humilitate in Ecclesia; & prostratis in oratione, dicat sacerdos has orationes.

PRIMA ORATIO.

Auxiliare Domine quærentibus misericordiam tuam, & da veniam confitentibus. Parce supplicibus, ut qui nostris meritis flagellamur, tua miseratione salvemur. Per.

SECUNDA ORATIO.

Quæsumus omnipotens Deus, afflicti populi lacrymas respice, & iram tuæ indignationis averte, ut qui reatum nostræ infirmitatis agnoscimus, tua consolatione liberemur. Per.

TERTIA ORATIO.

Deus qui conspicias omni nos virtute de-

stitui, interiùs exteriorisque custodi, ut & ab omnibus aduersitatibus muniamur in corpore, & à pravis cogitationibus mudemur in mente. Per.

His orationibus completis, surgat pariter, & coram hominibus illis cantos Presbyter Missam, & faciat eos ad ipsam Missam offerre. Cùm autem ad communionem venerint, antequam communicent, interroget eos sacerdos cum adjuratione & dicat.

Adjuro vos, homines, per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & per vestram Christianitatem quam suscepistis, & per unigenitum Dei filium, quem redemptorem creditis, & per sanctam Trinitatem, & per sanctum evangelium, & per reliquias quæ in ista sancta Ecclesia sunt recondite, ut non præsumatis ullo modo ad istam sanctam communionem accedere nec fumendo communicare si hoc vel illud fecistis, aut consensistis, aut aliquam veritatem inde scitis, seu qui hoc egit nollis.

Si

Si autem tacerint, & nullam inde confessionem dixerint, accedat sacerdos ad altare, & communicet more solito, postea verò communicet illos. Cùm autem communicant ante altare, dicat sacerdos: Corpus hoc & sanguis Domini nostri Iesu Christi sit vobis ad comprobationem hodie. Expleta Missa, descendat sacerdos ad locum destinatum, ubi ipsum examen peragatur. Deferat secum librum evangeliorum & crucem, & canat modicam letaniam; & cùm compleverit ipsam letaniam, exorcizet & benedicat aquam ipsam antequam fervescat, ita dicendo.

Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Iesu Christi filij eius Domini nostri, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici & omne phantasma diaboli; ut si hic homo qui manum suam in te missurus est innocens extiterit de hac culpa unde reputatur, pietas Dei omnipotentis liberet eum; & si, quod absit, culpabilis est, & præsumptuosè in te manum mittere ausus fuerit, ejusdem omnipotentis virtus super eum hoc declarare dignetur, ut omnis homo timeat & contremiscat nomen sanctum gloriæ Domini nostri, qui vivit & regnat Deus per omnia secula.

ORATIO.

Domine Iesu Christe, qui es iudex justus, fortis, & patiens, & multum misericors, per quem facta sunt omnia, Deus deorum & Dominus dominantium, qui propter nos homines & propter nostram salutem de sinu Patris descendisti, & ex virgine Maria carnem assumere dignatus es, & per passionem tuam mundum in cruce redemisti, & ad inferos descendisti, & diabolum in tenebris exterioribus ligasti, & omnes justos, qui originali peccato ibidem detinebantur, magna potentia tua exinde liberaasti, tu Domine quæsumus mittere digneris Spiritum tuum sanctum ex summa cæli arce super hanc creaturam aquæ, quæ ab igne fervescere atque calefcere videtur, ut rectum iudicium per eam super hunc hominem nomine illo comprobet ac manifestet. Te Domine Deus supplices deprecamur, qui in Cana Galilææ signo admirabili tua virtute ex aqua vinum fecisti, & tres pueros Sidrac, Misac, & Abdenago de camino ignis ardentis illæfos eduxisti, & Susannam de falso crimine liberaasti, cæco nato oculos

Tom. II.

aperuisti, Lazarum quatrduanum à monumento suscitasti, & Petro mergenti manum porrexisti, ne respicias peccata nostra in hac oratione, sed tuum verum & sanctum iudicium coram hominibus in hoc manifestare digneris, ut si hic homo pro hac reputationis causa, furto videlicet, vel homicidio, aut adulterio, vel luxuria, aut pro qualibet causa culpæ modò ad præfens manum suam in hanc aquam igne ferventem miserit, & culpabilis ex hac causa non est, hoc ei præstare digneris ut nulla læsio vel macula in eadem manu appareat, per quam sine culpa calumniam incurrat.

Iterum te, Deus omnipotens, nos indigni & peccatores famuli tui suppliciter oramus ut sanctum, verum & rectum iudicium tuum nobis in hoc etiam manifestare digneris, quatenus hic homo ex hac reputationis causa, si per aliquod maleficium, diabolo instigante, aut cupiditate vel superbia incitante, culpabilis est in factò vel in consensu, & hoc comprobationis iudicium subvertere vel violare volens, malo confisus ingenio, manum suam in hanc aquam præsumptuosè mittere ausus fuerit, tua pietas taliter hoc declarare dignetur ut in ejus manu dinosci queat quod injustè egit; ut & ipse deinceps per veram confessionem poenitentiam agens ad emendationem perveniat, & iudicium tuum sanctum & verum in omnibus gentibus declaretur per te, redemptor mundi, qui venturus es judicare vivos & mortuos & seculum per ignem. Amen.

ITEM ALIUS EXORCISMVS.

Te autem, creatura aquæ, adjuro te per Deum vivum, per Deum sanctum, qui te in principio separavit ab arida, adjuro te per Deum vivum, qui te de fonte paradisi manavit & in quatuor fluminibus exire iussit & totam terram rigare precepit, adjuro te per eum qui te in Cana Galilææ sua potentia convertit in vinum, qui super te suis sanctis pedibus ambulavit, qui tibi nomen imposuit Siloha, adjuro te per Deum qui in te Nahaman Syrum sua lepra mundavit dicens, Aqua sancta, aqua benedicta, aqua quæ lavas sordes & mundas peccata, adjuro te per Deum vivum ut te mundam exhibeas nec in te aliqua phantasma retineas, sed efficiaris fons exorcizatus ad effugandum & evacuandum & comprobandum omne mendacium & investigandam & comprobandam

S f

omnem veritatem; ut iste qui in te manum miserit, si veritatem & iustitiam habuerit, nullam lationem in te accipiat; & si mendacium habet, appareat manus ejus igne combusta; ut cognoscant omnes homines virtutem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est cum Spiritu sancto judicare vivos & mortuos & seculum per ignem. Amen.

Post hec exuat eum vestimentis suis, & induat eum vel eos vestimentis mundis de Ecclesia, id est, indumento de Exorcista aut de Diacono, & faciat eos vel eum osculari evangelium & crucem Christi, & aspergat super eos de aqua ipsa; & ipsi qui intraturi sunt ad Dei examen, det illis omnibus bibere de ipsa aqua benedicta. Cum autem dederit, unicuique dicat. Hanc aquam dedi tibi, vel vobis, ad probationem hodie. Deinde imponantur ligna subter caldaria, & dicat sacerdos has orationes quando ipsa aqua calefcere ceperit.

In nomine sancte Trinitatis. Deus iudex iustus, fortis, & patiens, qui es auditor & creator clemens & misericors, & iudicas æquitatem, tu iudica qui iussisti rectum iudicium facere, & respicis super terram, & facis eam tremere. Tu Deus omnipotens, qui per adventum unigeniti filij tui Domini nostri Iesu Christi mundum redemisti, qui per ejus passionem genus humanum subvenisti & salvasti, tu hanc aquam ferventem sanctifica. Qui tres pueros, id est, Sidrach, Misach, & Abdenago sub Rege Babylonis Nabuchodonosor in camino ignis accensa fornace salvasti, & inlascos per angelum tuum eduxisti, tu clementissime dominator presta ut si quis innocens ab huiusmodi culpa seu causa sive reputatione homicidij, adulterij, latrocinij fuerit, & in hanc aquam

manum miserit, salvam & inlascam inde educas. Qui tres pueros supradictos & Susannam de falso crimine liberaisti, ita Domine omnipotens, si culpabilis fuerit, & incrassante diabolo cor obduratum, manum in hujus tui elementi ferventis creaturam miserit, tua veritas hoc dedaret, ut in corpore manifestetur, & anima per poenitentiam salvetur. Et si ex hoc scelere culpabilis fuerit, & per aliquod maleficium aut per herbas aut per diabolicas incantationes hanc peccati sui culpam occultare voluerit, vel tuam iustitiam contaminare vel violare se posse crediderit, magnifica tua dextera hoc malum evacuet & omnem rei veritatem demonstret. Per te clementissime Pater, qui vivis & regnas in trinitate perfecta. Per omnia.

A L I A.

OREMVS. Deus qui beatam Susannam de falso crimine liberaisti, Deus qui beatam Theclam de spectaculis liberaisti, Deus qui sanctum Danielem de lacu leonum liberaisti, & tres pueros de camino ignis ardentis eripuisti, tu libera innocentes, & configna factores. Per Dominum nostrum.

Et qui manum mittit in aquam ad ipsam examen, dicat orationem dominicam, & signet se signaculo crucis, & festine deponatur ipsa aqua fervens desuper iuxta ignem, & iudex perpendat ipsam lapidem illigatam ad mensuram ill. infra ipsam aquam more solito; & sic inde extrahat eam in nomine Domini ipse qui intrat ad examen iudicij. Postea cum magna diligentia sic fiat involuta manus sub sigillo iudicij signata usque in die tertio, quo visa sit viris idoneis & scheinata.

Iudicium aque frigide.

II. *C*um homines vis mittere ad iudicium aque frigide ob probationem, ita facere debes. Accipe illos homines quos vis mittere in aquam, & deduc eos in Ecclesiam, & coram omnibus illis canet Presbyter Missam, & fac eos ad ipsam Missam offerre. Cum autem ad communionem venerint, antequam communicent, interroget eos sacerdos cum adjuratione, & dicat. Adjuro vos homines per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & per vestram Christianitatem quam suscepistis, & per unigenitum Dei filium, & per sanctam

Trinitatem, & per sanctum evangelium, & per illas sanctas reliquias quæ in ista Ecclesia sunt, ut non præsumatis ullo modo communicare neque accedere ad altare si hoc fecistis aut consensistis, aut scitis qui hoc egerit. Si autem omnes tacuerint, & nullus confessus fuerit, accedat sacerdos ad altare, & communicet, separatis illis qui examinandi sunt. Postea verò communicent illi quos vult in aquam mittere. Cum autem communicant, dicat sacerdos per singulos ante altare: Corpus hoc & sanguis Domini nostri Iesu Christi sit tibi ad probationem

hodie ad laudem & gloriam nominis sui & ad Ecclesie sue utilitatem. *Expleta Missa, faciat sacerdos aquam benedictam, & deferat eam ad locum examinis, ubi homines probantur. Cum autem venerit ad ipsum locum, letaniam faciens, omnibus pro eadem causa Dominum deprecantibus, det examinandis bibere de aqua illa benedicta. Cum autem dederit, unicuique dicat: Hæc aqua Domini fiat tibi ad probationem hodie per Dominum nostrum Iesum Christum, qui est verus iudex & iustus. Deinde conjuret aquam ubi mittendi sunt. Post conjugationem autem aque, exuat illos vestimentis suis, & faciat illos per singulos osculari sanctum evangelium & crucem Christi. Et post hæc de ipsa aqua benedicta aspergat super unumquemque hominem, & projiciat eos statim per singulos in aquam. Hæc autem omnia facere debet jejunus; neque illi antea comedant qui ipsos mittant in aqua.*

Conjuratio aque.

Adjuro te aqua in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te in principio creavit, quique te segregavit ab aquis superioribus, & iussit te servire humanis necessitatibus. Adjuro te etiam per invisibile & ineffabile nomen Christi Iesu, filij Dei vivi omnipotentis, sub cujus pedibus te calcabilem præbuit, qui etiam in te baptizari dignatus est, & suo baptisate consecravit. Adjuro etiam te per Spiritum sanctum, qui super Dominum in te baptizatum descendit, qui te invisibili sanctificatione sacramentum ad animarum purgationem inenarrabile constituit sacramentum, per quam olim & populus Israëliticus fidei pedibus transivit, & ex aqua ferrum, quod casu ceciderat, Heliscus divina virtute contra naturam natans in suo manubrio redire fecit, ut nullo modo suscipias hunc hominem, si in aliquo culpabilis est ex hoc quod illi objicitur, scilicet aut opere, aut consensu seu conscientia, vel quolibet ingenio; sed per virtutem Domini Iesu Christi rejice ex te, & fac illum natate super te, quatenus cognoscant fideles Christi nullum maleficium, nullum præstigium divine virtuti posse resistere quod non detectum fiat & omnibus manifestum. Adjuro etiam te per virtutem ejusdem Domini nostri Iesu Christi ut ad laudem illius cui omnis creatura servit, & cui cælestis exercitus famulatur clamans *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Exercituum*, ut nobis adjurantibus & ejus misericordiam obsecrantibus obedias, qui regnat & domi-

Tom. II.

natur per infinita secula seculorum. Amen.

Hominis conjuratio.

Adjuro te homo & confessor per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & per sanctam & individuam Trinitatem, & per omnes angelos & archangelos, & per omnes principatus & potestates, dominationes quoque & virtutes, & per Dei familia Cherubin & Seraphin, & per diem tremendum judicij Dei, necnon & viginti quatuor seniores qui quotidie laudant Deum, & per quatuor Evangelistas, & per sanctos quoque Apostolos, martyres, & confessores, necnon & per sanctam genitricem Dei Mariam, omnesque virgines, & per cunctum populum sanctum Dei, vel per sanctum baptismum in quo renatus es, si hoc malum fecisti ex quo culpabilis, vel assensum præbuit, aut bajulasti, aut in domum tuam recepisti, aut inde conscius aut consentaneus exististi, coram omnibus dicitur. Quod si diabolo suadente celare disposueris, & culpabilis exinde es, evanescat cor tuum incrassatum & induratum, & non suscipiat te aqua incredulum & seductum; ut dicat populus quia Deus noster iudex est, cujus potestas in secula seculorum. Amen.

Post conjugationem aque exuat illos vestimentis illorum, & osculari sanctum evangelium & sanctam crucem faciat; & sanctificatis omnibus aqua benedicta cum timore & reverentia, fidas de ejus clementia, projiciat in aquam.

Hoc judicium autem petente Domino Hludovico Imperatore constituit beatus Eugenius, præcipiens ut omnes Episcopi, Comites, Abbates, omnisque populus Christianus, qui infra ejus imperium est, hoc judicio defendant innocentes, & examinent nocentes, ne perjuri super reliquias sanctorum perdant suas animas in malum consentientes.

Alio modo.

Deus iudex iustus, fortis, & patiens, qui es auctor & amator justitiæ, qui iudicis æquitatem, judica Domine quod iustum est, quia recta tua iudicia sunt. Qui respicis super terram, & facis eam tremere, tu Domine omnipotens, qui per adventum filij tui Domini nostri Iesu Christi mundum salvasti, & per ejus passionem genus humanum redemisti, tu hanc aquam per ignem ferventem sanctifica. Qui tres pueros, id est, Sidrach, Misach, Abdenago, iussione Regis Babylonis missos in caminum ignis servasti, tu clementissime præsta ut si quis innocens in hanc aquam

S f ij

ferentem manum mittat, sicut tres pueros supradictos de camino ignis eripulisti, & Sufannam de falso crimine liberafisti, ita Domine manum illius saluam & allelam perducas. At si quis culpabilis, in crassante diabolo cor induratum, praesumpserit manum mittere, tua iustissima pietas hoc declarare dignetur, ut in ejus corpore tua virtus manifestetur, & anima illius per penitentiam saluetur.

Deus iudex iustus, qui auctor pacis es, & iudicas aequitatem, te suppliciter roga-

mus ut hoc ferrum ordinatum ad iustam examinationem cujuslibet dubietatis faciendam benedicere & sanctificare digneris, ita ut si innocens de praenominata causa, unde purgatio quaerenda est, hoc ignitum in manus acceperit, illaesus adpareat, & culpabilis atque reus, iustissima sit ad hoc virtus tua in eo cum virtute declarandum: quatenus iustitiae non domineatur iniquitas, sed subdatur falsitas aequitati, per Dominum nostrum &c.

Incipit Exorcismus aquae ad iudicium Dei demonstrandum.

Ex Ordine Dunstani Archiepiscopi Dorobernensis.

III. **P** *Eractis coram sacerdote trium dierum jejuniis, cum homines vis mittere ad iudicium aquae frigidae ob probationem, ita facere debes. Accipe illos homines quos vis mittere in aquam, & duc eos in Ecclesiam, & coram omnibus illis cantet Presbyter Missam, & faciat eos ad ipsam Missam offerre. Cum autem ad communionem venerint, antequam communicent, interroget eos sacerdos cum adjuratione & dicat. Adjuro vos ill. & ill. per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & per vestram Christianitatem quam suscepistis, & per unigenitum Dei filium, & per sanctam Trinitatem, & per sanctum evangelium, & per istas sanctas reliquias quae in ista Ecclesia sunt, & per illud baptismum quo vos sacerdos regeneravit, ut non praesumatis ullo modo communicare neque accedere ad altare si hoc fecistis aut consensistis, aut scitis quis hoc egerit. Si autem tacerint, & nulli hoc dixerint, accedat sacerdos ad altare & communicet. Postea vero communicet illos quos vult in aquam mittere. Cum autem communicaverint, dicat sacerdos ante altare per singulos: Corpus hoc & sanguis Domini nostri Iesu Christi sit tibi ad probationem hodie.*

Incipit Missa iudicij.

Antiphona. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum, fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam. *Psalm.* Beati immaculati.

ORATIO.

Abfolve quaesumus Domine tuorum delicta famulorum, ut a peccatorum suorum nexibus, quae pro sua fragilitate contraxerunt, tua benignitate liberentur, & in hoc iudicio prout meruerunt, tua iustitia praeviente, ad veritatis censuram

pervenire mereantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.

Lectio libri Levitici.

In diebus illis locutus est Dominus ad Moysen dicens: Ego sum Dominus Deus vester. Non faciatis furtum, non mentiamini, nec decipiat unusquisque proximum suum. Non perjures in nomine meo, nec polluas nomen Dei tui. Ego Dominus. Non facias calumniam proximo tuo, nec vi opprimas eum. Non moretur opus mercenarij tui apud te usque mane. Non maledicas furdo, nec coram caeco ponas offendiculum. Sed timebis Dominum Deum tuum, quia ego sum Dominus, dicit Dominus omnipotens.

Item alia Lectio epistolae beati Pauli Apostoli ad Ephesios.

Fratres, Renovamini spiritu mentis vestrae, & induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Propter quod dependentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra. Irascimini, & nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur, jam non furetur. Magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.

Graduale. Propitius esto Domine peccatis nostris, ne quando dicant gentes, Vbi est Deus eorum. *Versus.* Adjuva nos Deus salutaris noster, & propter honorem nominis tui Domine libera nos. *Alleluia.* Deus iudex iustus, fortis, & patiens, numquid irascetur per singulos dies.

Sequitur sanctum evangelium secundum Marcum.

In illo tempore cum egressus esset Iesus in via, procurrens quidam genu flexo ante eum rogabat eum dicens: Magister bone, quid faciam ut vitam aeternam percipiam? Iesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus. Præcepta nosti? Ille dixit. Quæ? Non occidas, non adulteres, non fureris, non falsum testimonium dicas, non fraudem feceris. Honora patrem tuum & matrem tuam. At ille respondens ait: Magister, hæc omnia custodivi à juventute mea. Iesus autem intuitus eum dilexit eum, & dixit ei: Vnum tibi deest. Vade, quæcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me.

Offertorium.

Immitter angelum Dominus in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Gustate & videte quoniam suavis est Dominus.

Et hic offerat. Secreta.

Intercessio sanctorum tuorum misericordiae tuae Domine munera nostra conciliet, ut quam merita nostra non valent, eorum deprecatio indulgentiam valeat obtinere. Per Dominum.

Præfatio.

Æterne Deus, qui non solum peccata dimittis, sed ipsos etiam iustificas peccatores, & reis non tantum poenas relaxas, sed dona largiris & præmia, cuius nos pietatem supplices exoramus ut famulos tuos illos non de præteritis iudices reatibus, sed huius culpæ veritatem spectantibus infinues; quatinus & in hoc populus tuus præconia nominis tui efferat, & te vitæ præsentis & perpetuæ auctorem agnoscat. Per Christum Dominum nostrum.

Benedictio ad iudicium.

Deus, de quo scriptum est quia iustus es & rectum iudicium tuum, fac cum his servis tuis secundum misericordiam tuam, ut non de pristinis iudicentur reatibus, sed in hoc, prout meruerunt, tua benedictione præveniente, veritatis subsequatur iudicium. Amen.

Et qui iustus es & amator iustitiæ, & à cuius vultu videtur æquitas, fac in conspectu populi tui ut nullis malorum præstigiis veritatis tuæ fuscantur examina. Amen.

Petitiones nostras placatus intende, & culparum omnium præteritarum eis veniam clementer attribue. Et si culpabiles sunt, tua larga benedictio non eis ad suf-

fragium, sed huius culpæ ad insinuandam veritatem proficiat. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cuius regnum.

Hic communicent per sacerdotem, Et Dicat sacerdos.

Corpus hoc & sanguis Domini nostri Iesu Christi sit vobis ad probationem hodie.

Antiphona post communionem.

Iustus Dominus & iustitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus.

Post communionem.

Perceptis Domine Deus noster sacris muneribus, suppliciter deprecamur ut huius participatio sacramenti & à propriis nos reatibus indefinenter expediat, & in famulis tuis veritatis sententiam declaret. Per Dominum nostrum.

Expleta Missa, faciat ipse sacerdos aquam benedictam, & pergat ad locum ubi homines probentur. Cum autem venerit ad ipsum locum, det illis omnibus bibere de aqua. Cum autem dederit, dicat ad unumquemque hominem: Hæc aqua fiat tibi ad probationem. Postea vero conjuret aquam ubi culpabiles mittat.

Incipit adjuratio aquæ.

Deus qui per aquarum substantiam iudicia tua exercens diluvij inundatione milia populorum interemisti, & Noë justum cum suis salvandum censuisti, Deus qui in mari rubro cuneos Ægyptiorum involvisti, & agmina Israëlita imperterrita abire iussisti, virtutem tuæ benedictionis his aquis infundere & novum ac mirabile signum in eis ostendere digneris, ut innocentes à crimine furti vel homicidij vel adulterij aut alterius nævi, cuius examinationem agimus, more aquæ in se recipiant & in profundum pertrahant, conscios autem huius criminis à se repellant atque rejiciant, nec patiantur recipere corpus quod ab onere bonitatis evacuatum ventus iniquitatis allevavit & inane constituit, sed quod caret pondere virtutis, careat pondere propriæ substantiæ in aquis. Per Christum Dominum nostrum.

Alia adjuratio.

Adjuro te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te in principio creavit & iussit ministrare humanis necessitatibus, qui etiam iussit segregari te ab aquis superioribus. Adjuro etiam te per ineffabile nomen Iesu Christi filij Dei vivi, sub cuius pedibus mare & elementum divisum se calcabile præbuit, qui etiam bap-

tizari se in aquarum elemento voluit. Adju-
 ro etiam te per Spiritum sanctum, qui
 super Dominum baptizatum descendit.
 Adjuro te per nomen sanctae & individuae
 divinitatis, cujus voluntate aquarum ele-
 mentum divisum est, & populus Israël
 sicis pedibus statim tranavit, ad cujus
 etiam invocationem Heliseus ferrum,
 quod de manubrio exierat, super aquam
 natate fecerat, ut nullo modo suscipias
 hos homines illi. si in aliquo sunt culpabiles
 de hoc quod illis obicitur, scilicet aut per
 opera, aut per consensum, vel per con-
 scientiam, seu per ullum ingenium, sed
 fac eos super te natate. Et nulla possit
 contra te causa facta aut ullum praestigium
 inimici quod illud possit occultare. Adju-
 rata autem per nomen Christi, praecipimus
 tibi ut nobis per nomen ejus obedias
 cui omnis creatura servit, quem Cherubin
 & Seraphin collaudant, dicentes, *Sanctus,
 Sanctus, Sanctus Dominus Deus Exercituum;*
 qui etiam regnat & dominatur per infinita
 secula seculorum.

Alia.

Adjuro te creatura aquae per Deum Pa-
 trem & Filium & Spiritum sanctum, &
 per tremendum diem iudicij, & per duo-
 decim Apostolos, & per septuaginta duos
 discipulos, & per duodecim Prophetas,
 & per viginti quatuor seniores qui assidue
 Dominum laudant, & per centum qua-
 draginta quatuor millia quae sequuntur
 agnum, & per omnia agmina sanctorum
 angelorum, archangelorum, thronorum,

dominationum, principatum, potesta-
 tum, virtutum, Cherubin atque Sera-
 phin, & per omnia millia sanctorum mar-
 tyrum, confessorum, & virginum. Adju-
 ro te per sanguinem Domini nostri Iesu
 Christi, & per quatuor evangelia, & per
 quatuor Evangelistas, necnon & per sep-
 tuaginta duos libros veteris ac novi testa-
 menti, & per omnes scriptores sanctos ac
 doctores eorum. Adjuro te per sanctam
 Ecclesiam catholicam, & per communio-
 nem sanctorum, & per resurrectionem eo-
 rum, ut fias aqua exorcizata, adjurata, &
 obfirmata adversus inimicum hominis dia-
 bolum & adversus hominem qui ab eo fe-
 ductus furtum hoc vel homicidium aut
 adulterium, unde ratio agitur, perpetra-
 vit, ut nullatenus cum in te submergi aut
 in profundum trahi permittas, sed a te re-
 pellas atque rejicias, neque patiaris reci-
 pere corpus quod ab onere bonitatis inane
 est factum; sed quod caret pondere virtu-
 tis, careat pondere propriae substantiae in
 te. Innocentes vero a praedicto crimine
 more aquae in te recipias, & in profundum
 innocuos pertrahas. Per Dominum no-
 strum.

*Post has autem conjurationes aquae, exuan-
 tur homines qui mittendi sunt in aquam pro-
 prie vestimentis, & osculentur singuli evan-
 gelium & crucem Christi, & aqua benedicta
 super omnes adspersatur; & qui adfuerint om-
 nes jejunent, & sic projiciantur singuli in a-
 quam. Et si submersi fuerint, inculpabiles re-
 putentur. Si supernataverint, rei esse judi-
 centur.*

Incipit adjuratio ferri vel aqua ferventis.

IV. **I**n simplo unum pondus, in triplo
 tria ferrum aequiparet pondera; &
 in illa adjuratione non adfuit, ut praediximus,
 nisi jejunii. Et dictis levamis, sic sacerdos in
 loco ubi ferrum accenditur, vel aqua infer-
 vescat, adjurationem iniando inchoet.

Deus qui per ignem signa magna osten-
 dens Abraham puerum tuum de incendio
 Chaldaeorum quibusdam pereuntibus e-
 ruisti, Deus qui rubum ardere ante con-
 spectum Moyli & minime comburi permi-
 sisti, Deus qui ab incendio fornacis Chal-
 daeis plerisque succensis tres pueros tuos
 illaesos eduxisti, Deus qui incendio ignis
 populum Sodomae & Gomorrae involvens,
 Loth famulum tuum cum suis saluti dona-
 sti, Deus qui in adventu sancti Spiritus in-
 lustratione ignis fideles tuos ab infidelibus

decrevist, ostende nobis in hoc parvitas
 nostrae examine virtutem ejusdem sancti
 Spiritus & per hujus ignis fervorem discer-
 nere fideles & infideles, ut a tactu ejus fur-
 ti, vel homicidij, vel adulterij, cujus in-
 quisitio agitur, conscij exhorrescant, &
 manus eorum vel pedes comburantur ali-
 quatenus, immunes vero ab ejusmodi cri-
 mine liberentur penitus & inlaesi perman-
 eant. Per Dominum nostrum.

Alia.

Deus iudex justus, fortis, auctor & ama-
 tor pacis, patiens & multum misericors,
 qui iudicas quod justum est, & rectum
 iudicium tuum, qui respicis super ter-
 ram & facis eam tremere, tu Deus omni-
 potens, qui per adventum filij tui Domini
 nostri Iesu Christi mundum salvasti, & per

ejus passionem genus humanum redemisti, hanc aquam ferventem vel hoc ferrum fervens sanctifica. Qui tres pueros Sidrac, Misac, & Abdenago iussu Regis Babylo- nis in camino ignis accensa fornace salva- sti & inlaesos per angelum sanctum tuum eduxisti, tu clementissime pater, domina- tor omnipotens, praesta ut si quis innocens de furto hoc, vel homicidio, aut adulte- rio, seu maleficio, in hoc ferrum fervens vel in hanc aquam ferventem miserit ma- num suam, salva, te praestante Domino nostro, permaneat. Et sicut tres pueros supradictos de camino ignis ardentis liberasti, & Susannam de falso crimine eripuis- ti, sic manum innocentis omnipotens Deus ab omni laesionis insanie salvare dig- nare. Et si quis culpabilis vel noxius, & timido corde, induratoque pectore, vel superba mente, reus de hoc furto, vel ho- micidio, aut adulterio, seu maleficio ma- num miserit in hoc ferrum vel aquam fer- ventem, tu Deus omnipotens justissima pietate & rectissimo iudicio illud declarare & manifestare digneris, ut anima ejus per poenitentiam salvetur. Et si ille nocens vel culpabilis sit, & per aliquod maleficium vel per herbas aut per causas diabolicas in- duraverit, & peccatum quod fecit confi- teri noluerit, tua dextera, quaesumus Do- mine, hoc declarare dignetur. Per Do- minum.

Item tertia.

Deus innocentiae restitutor & amator, qui auctor pacis es & judicas aequitatem, te subnixis rogamus precibus ut hoc ferrum ignitum ordinatum vel hanc aquam ordi- natam ad justitiam & examinationem cu-

juslibet dubietatis benedicere & sanctifica- re digneris, ita ut si innocens de hoc fur- to, vel homicidio, vel adulterio, vel ma- leficio, unde purgatio quaerenda est, in hoc ignitum & tua benedictione sanctifica- tum ferrum, vel in hanc aquam fervidam & tua benedictione sanctificatam, manus vel pedes immiserit, tua benignissima mi- seratione inlaesus appareat. Si autem cul- pabilis atque reus contempserit, & quasi tentator iudicium tuum adierit, aut per herbas vel quaecunque tentamenta sive molimina maleficiose peccata sua contueri & defendere inflatus per afflatorem malitia contra veritatis tuae examen voluerit, justissime & misericordissime Domine Deus ad hoc virtus tua, quae omnia superat, in eo cum veritate, quae permaneat in seculum seculi, declaretur, quatinus justitiae tuae non dominetur iniquitas, sed veritati subdatur falsitas, & ut ceteri hoc videntes ab incredulitate sua te miserante liberentur. Qui vivis.

His peractis, aqua benedicta cunctis ad- stantibus detur ad degustandum, & adspersatur per totam domum, & ferrum proferatur, quod a culpato coram omnibus accipiat, & per mensuram novem pedum portetur, manus sigilletur, sub sigillo servetur, & post tres noctes aperiatur. Et si mundus est, Deo gratuletur. Si autem insanies crudescens in vestigio ferri inveniat, culpabilis & im- mundus reputetur.

In aqua fervente accipiat homo lapidem qui per funem suspendatur in simpla proba- tione per mensuram palmae, in tripla autem unius ulnae. Manus vero sigilletur & aperiatur ut supra diximus in consecratione ferri.

Incipit exorcismus panis hordeacij vel casei, quorum appensio unius unciae.

V. P *Rymitus faciat sacerdos letanias, & omnes qui intus sunt cum eo je- juni sint, & sic incipiat.*

Conservator & creator humani generis, dator gratiae spiritalis, largitor aeternae salu- tis, tu emitte Spiritum tuum super hanc creaturam panis vel casei cum tremore & timore magnitudinis brachij tui adversus eum qui cum superbia & contumacia ac zelo iniquo venit & vult subvertere justi- tiam & conculcare iudicium. Fac eum Domine in visceribus angustari, ejusque guttur conclude, ut panem vel caseum

istum in tuo nomine sanctificatum devora- re non possit hic qui injuste juravit ac ne- gavit illud furtum vel homicidium aut adulterium seu maleficium quod quereba- tur, & jusjurandum pro nihilo habuit, & nomen tuum nominavit ubi rectum non erat. Te quaesumus ut non ei permittas il- lud abscondere, quia justus es Domine, & rectum iudicium tuum, qui custodis ve- ritatem in seculum, faciens iudicium inju- riam patientibus, & custodis pupillum, ac viduam suscipis, & viam malignorum exterminabis. Ideo ostende nobis Domi-

ne misericordiam tuam, ut humiles ac mansueti ac recti propter veritatem gaudeant, superbi autem & iniqui ac cupidi contristentur & humilientur usque dum confiteantur magno & sancto nomini tuo, & cognoscant ceteri quia nomen tibi Dominus, & tu solus altissimus super omnem terram, & servi tui in te glorientur & laudent nomen tuum in secula seculorum. Amen.

Item alia.

Domine Iesu Christe, qui regnas in caelis & in terris, & mirabilis es in omnibus operibus tuis, dominator dominantium, Deus angelorum, Deus Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, martyrum, confessorum, virginum, & omnium electorum, praesta quaesumus per sanctum ac mirabile nomen tuum ut qui reus est hujus furti, vel homicidij, aut adulterij, seu maleficij, de quo hic requiritur, vel in facto vel in conscientia, ad adpositam ei pro ostensione veritatis creaturam panis sanctificati vel casei faux ejus claudatur, guttur ejus stranguletur, & in nomine tuo ante illud rejiciatur quam devoretur. Sed & spiritus diabolicus, cui nulla est communicio cum tua superna veritate, in hoc negotio ad subvertendum iudicium pravis praestigiorum suorum molitionibus nil praevaleat. Sed qui reus & conscius est rei praefatae, ad hoc pabulum sanctificati panis vel casei, & praesertim per dominici corporis & sanguinis communionem quam accepit, tremat & tremendo palleat, & nutabundus in omnibus membris appa-

reat, innoxius vero & inscius sobriè ad salubritatem sui cum omni facilitate hanc partem panis vel casei in nomine tuo signatam manducando deglutiat, ut cognoscant omnes quia tu es iustus iudex, qui salvos facis sperantes in te, & non est alius praeter te, qui vivis & regnas Deus per omnia secula seculorum.

Tertia oratio.

Deus cuius scientia senariam circumscriptionem angelicis & humanis elongatam sensibus sola interiùs penetrat & exterius concludit, quem nulla caelestium vel terrestrium aut infernorum vota fallere possunt, quanto magis cor unius hominis culpabile, respice ad preces nostrae humilitatis, quibus famulatum sacri indidisti ordinis, & praesta, non nostris exigentibus meritis, sed tuorum omnium suffragantibus sanctorum precibus, ut quod in hac culpa humanos latet oculos, & sermonum humanae procacitatis obregitur defensionibus, tua caelesti & superna moderatione sine ullo reveletur obftricamine, & sicut solus verus es, veritatis in hoc sententiam elucidare digneris: quatinus innocentes sine ulla difficultate hoc pabulum probationis deglutiant, obnoxij autem obtrepidante mentis statu, & totius compagine corporis vacillante, quod in tuo sancto nomine consecratur & benedicatur, nullatenus devorandi valetudinem percipiant, sed coram omnibus invaliditudo confusi, quod praesumptione immerita susceperunt, cum irrisione projiciant. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Incipit ordo iudicij quo rei aut innoxij probantur ferro candenti.

VI. **P**ost accusationem legitime factam & triduum in jejuniis & oratione consumptum, sacerdos vestibus sacris praeter casulam indutus, ferrum ante altare positum forcipe accipiat, & hymnum trium puerorum, videlicet Benedicite omnia opera, decantans, ad ignem deferat, & dicat hanc orationem super locum ubi fiet ignis ad faciendum iudicium.

Benedic Domine Deus locum istum, ut sit nobis in eo sanctitas, castitas, virtus, & victoria, & sanctimonia, humilitas, bonitas, lenitas, & plenitudo legis, & obedientia Deo Patri & Filio & Spiritui sancto. Haec benedictio fit super hunc locum & super omnes inhabitantes in eo.

Benedictio super ignem.

Domine Deus pater omnipotens, lumen

indeficiens, exaudi nos, quia tu es conditor omnium luminum. Benedic Domine hoc lumen, quod a te sanctificatum est, qui illuminasti omnem hominem vel mundum, ut ab eo lumine accendamus igne claritatis tuae. Et sicut igne illuminasti Moysen, ita nunc illumina corda nostra & sensus nostros, ut ad vitam aeternam mereamur pervenire per Christum &c.

Qua finita, dicat Pater noster &c. Saluum fac servum &c. Mitte ei auxilium Deus &c. De Sion tuere eum &c. Domine exaudi &c. Dominus vobiscum &c.

Oratio.

Benedic Domine sancte Pater omnipotens Deus, per invocationem sanctissimi nominis tui, & per adventum filij tui, atque per donum Spiritus paracliti, ad manifestandum

nifestandum verum iudicium tuum, hoc genus metalli, ut sit sanctificatum, ut omni demonum falsitate procul remota, veritas veri iudicij tui fidelibus tuis manifesta fiat, per eundem Dominum & cetera.

Post hoc, ferrum in ignem mittatur, & aspergatur aqua benedicta; & dum calefit, Missam celebret. Cum vero sacerdos eucharistiam sumpserit, hominem probandum sicut infra scriptum est aduret atque communicare faciat.

Officium Missæ.

Iustus es Domine & rectum iudicium tuum, & cetera.

Oratio.

Absolve quæsumus Domine tui delicta famuli, ut à peccatorum suorum nexibus, quæ pro sua fragilitate contraxit, tua benignitate liberetur, & in hoc iudicio quoad meruit, iustitia tua præveniente, ad veritatis censuram pervenire mereatur per Christum Dominum & cetera.

In illo tempore cum egressus esset Iesus, in via præcurrrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum dicens: Magister bone, quid faciam ut vitam æternam percipiam? Iesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum, & cetera.

Deinde Secreta &c.

Antequam verò communitet, interroget eum sacerdos cum adjuratione sic. Adjuro te per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & per veram Christianitatem quam suscepisti, & per sanctas reliquias quæ in ista Ecclesia sunt, & per baptismum quo te sacerdos regeneravit, ut non præsumas ullo modo communicare neque accedere ad altare si hoc fecisti aut consensisti &c. Hic communitet sacerdos illos, & dicat. Corpus hoc & sanguis Domini nostri Iesu Christi sit tibi ad probationem hodie.

Oratio.

Perceptis Domine Deus noster sacris

In Christi nomine. Incipiunt collectas ad malis furtis reprehendis.

Ex veteri codice MS. bibliothecæ regie.

VII. **A**gius, agius, agius. Sancte Pater, qui es invisibilis omnium rerum conditor, spiritalium munerator, qui cunctorum es conditor, & arcana conspicias, cuncta cognoscis, qui scrutaris corda & renes, Deus, deprecor te, & exaudi verba deprecationis meæ, ut qui hunc furtum illum admisit, panis vel casei iste transfire faucis nec guttur illius non possit. Amen.

Domine, qui liberaisti Moysem de terra Tom. II.

muneribus, supplices deprecamur ut huius participatio sacramenti à propriis nos reatibus expediat & in famulo tuo veritatis sententiam declaret &c.

Deinde Kyrieleison, & Letania, & Psalmi. *Et tum.*

O R E M V S.

Deus qui per ignem signa magna ostendens Abraham puerum tuum de incendio Chaldaeorum quibusdam pereuntibus eruiti, Deus qui rubum ardere ante conspectum Moysis & minimè comburi permisti, Deus qui de incendio fornacis Chaldaicis plerisque succensis tres pueros tuos illæsos eduxisti, Deus qui incendio ignis populum Sodome involvens, Loth famulum tuum cum suis salute donasti, Deus qui in adventu sancti Spiritus tui illustratione ignis fideles tuos ab infidelibus deprecavisti, ostende nobis in hoc parvitatibus nostræ examine virtutem ejusdem Spiritus &c. & per ignis huius fervorem discerne fideles & infideles, ut à tactu ejus, cujus inquisitio agitur, conscius exhorrescat, & manus ejus comburatur, innocens verò penitus illæsus permaneat &c. Deus cujus notitiam nulla unquam secreta effugiunt, fidei nostræ tua bonitate responde, & præsta ut quisquis purgandi se gratia hoc ignitum tulit ferrum, vel absolvatur innocens, vel rei noxius detegatur.

Deinde sacerdos super ferrum aquam benedictam spargat, & dicat: Benedictio Dei Patris & Filii & Spiritus sancti descendat super hoc ferrum ad discernendum rectum iudicium Dei. Et mox accusatus ad novem pedum mensuram ferrum perferat. Huius denique manus sub sigillo triduum regatur; & si sanies crudescens in vestigio ferri reperitur, culpabilis ducatur; sin autem munda extiterit, laus Deo referatur.

Ægypti, David de manu Saul Regis, Ionam de ventre ceti, Petrum de fluctibus, Paulum de vinculis, Teclam de bestis, Susannam de falsis criminibus, tres pueros de camino ignis ardentis, Daniel de lacu leonis, paralyticum de grabato, Lazarum de monumento, ostende mihi qui hunc furtum illum admisit, ut panis vel casei iste transfire faucis nec gutture illius transfire non possit. Amen.

Exorcizo te maledicte, immundissime

T t

draco, basilice, serpens innoxia per verbum veritatis & signum claritatis per Deum omnipotentem & Iesum Christum Nazarenum agnum immaculatum, de altissimis procreatum, de Spiritu sancto conceptum, ex Maria virgine, quem Gabriel archangelus adnuntiavit venturum, quem cum vidisset Iohannes, voce magna clamavit dicens: *Hic est filius Dei vivi*. Nullo modo hic dimittas communicare, neque presumat panem nec casium istum manducare qui hunc furtum illum admisit. Qui crimen nesciens est, manducet. Et qui crimen sciens est, statim tremebundus evomat. Amen.

Suggero tibi Domine Deus omnipotens aeternae Deus, qui caelos camerasti, terram fundasti, mare limitibus firmasti, & ipsum caelum fabricasti, qui magna mirabilia sol & luna super justos splendere & lucere fecisti, doctrinam ordinasti, fac Domine signum talem ut omnis mundus & omnis terra intellegant quia tu es Deus, qui facis mirabilia solus, Domine Iesu Christe fili Dei vivi. Et qui res illas furavit, & qui ex hoc consentaneus videtur, ut gula & lingua faucis suae sint constrictae & legatae. Amen. Et panem nec casium istum non possit manducare. Amen.

Conjuro tibi, homo, per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, per diem tremendi iudicii & quatuor evangelia, & per duodecim Apostolos, per duodecim

Prophetas, per viginti quatuor seniores qui cotidie in laudem Domini sunt, per illo redemptore qui pro nostra peccata manus in sancta cruce suspendere dignatus est, ut hunc furtum mixtus es aut fecisti aut consentisti aut fraudolenter bajolasti, taliter sit tibi bajulandum si de manu Domini de sua sancta gloria & virtutem, ut panem & casium istum nunquam possis manducare, nisi inflatas bucas cum spuma & gemitu & lacrymis & doloribus faucis tuae sint constrictae & oblegate. Amen.

Ista collecta desuper caput hominis conjurati.

Domine Deus omnipotens, agius, agius, agius, adstans in caelis & in terris, Domine, sanctum & admirabile nomen tuum invocamus, nomen tuum deprecamur Domine Domine dominantium. Nomen tuum invocamus, Deus caelorum, Deus justorum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus martyrum, Deus virginum, Deus omniumque sanctorum. Te invocamus, ut quicumque furtum illum fecit aut consenserit, adponatur ei creatura panis & formaticus, aut in terra vomat quam pertranscat; quia tu es Deus, & non est alius praeter te. Fac secundum magnam misericordiam tuam. Separetur ab eo spiritus diaboli. Qui conscius est, evomat. Et qui innocens est, manducet. Et qui culpabilis est, tremat, tremescat, tanquam arbor tremulet, & requiem non habeat donec te confiteatur, Pater sancte.

Incipit probatio à cunctis furtis probandis.

Ex veteri codice M.S. bibliothecae regiae.

VIII. **A**Ntequam incipias, canitur Missa de sancta Trinitate. Antiphona: Benedicte sit sancta Trinitas. Domine Iesu Christe. Agie, agie, agie. Astans in caelis, in omnibus locis dominaris, vides & regis, iudicas & disponis. Sanctum & admirabile nomen tuum invocamus. Domine dominantium, Spiritus Dei, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus caelorum, Deus justorum, Deus propitiator, Deus Apostolorum, Deus martyrum, Deus omnium sanctorum, te invocamus, ut quicumque de isto furto culpabilis est, opponatur ei panis & caseus, ut te jubente constringantur fauces illius & guttur ejus claudatur, ut qui istud furtum commisit, antea revomat quam pertranscat; ut sciat quod tu es Deus, & non est alius praeter te. Fac secundum magnam misericordiam tuam ut ab eo spiritus diaboli separetur, & proba-

tus convictus sit, qui culpabilis est tremat & tremescat tanquam folia arboris tremuli. Per constringentes angelos tuos, per sanctum Michaellem & sanctum Raphaellem, tremens appareat, & requiem non habeat donec confiteatur furtum istud. Agie, agie, agie. Te jubente liberatus est Daniel de lacu leonum, Petrus de fluctibus, Paulus de carceribus, Jonas de ventre ceti, Susana de falso crimine. Tu manifesta furtum istud sicut manifestasti Pharaonem Regem in mari. Sicut ille non pertransivit mare, sic non pertranscat gula ejus qui hoc furtum admisit creatura panis & casei. Adsit angelus sanctus Michael, & sanctus Gabriel, & sanctus Raphael. Constringant guttur illius, & claudatur, & victus appareat. Christe Iesu, praesta quod petimus. Trinitas inseparabilis manifesta. Omnipotens Deus, qui vivis & regnas per omnia secula seculorum. Amen.

Incipit exorcismus ad caldaria sive ad aqua.

IX. Deus iudex justus & patiens, qui auctor es pacis & iudicis æquitatem, tu iudica quod rectum est Domine. Rectum iudicium tuum. Qui respicis super terram, & facis eam tremere, tu Deus omnipotens, qui per unigenitum filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum mundum salvasti, & per ejus passionem genus humanum redemisti, tu hanc aquam per ignem ferventem sanctifica. Qui tres pueros, id est, Sidrac, Misac, & Abdenago iussu Regis Babylonis Nabuchodonosor in camino ignis missos accenso fornace salvasti & intactos per angelum tuum eduxisti, tu Domine, qui semper dominaris, præsta ut sicut innocens de hunc furtum in hanc aquam per ignem ferventem manum miserit, sicut tres pue-

ros supradictos de camino ignis & Sufannam de falsa crimina liberasti, ita & qui innocens de hunc supradictum furtum in hanc aquam per ignem ferventem manum miserit, salvam & intactam educat, ita, Deus omnipotens, si quis culpabilis, adin-grasante diabolo cor induratum, præsumperit manum mittere, tua iustissima veritas hoc declaratur, tua virtute manifesta, anima pro penitentia salvetur. Si quis culpabilis pro aliquo maleficio aut pro herbas diabolicas peccatum tegere voluerit, tua dextera hoc evacuare dignetur. Per ipsum Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum semper vivit & regnat Deus in unitate Spiritus sancti per omnia secula seculorum. Amen.

Resolutio omnium maleficiorum & maledictionum & incantationum & conligationum & in... sionum & instigationum & zeli & invidia & demonij & omnium malorum quacunque scimus vel quacunque nescimus.

Ex alio codice M. S. ejusdem bibliothecæ.

X. Invocamus te, Deus omnipotens, Rex æternæ omnium seculorum, incorruptibilis, immaculate, indivise, lucis dator, potens manu, adonai, eloe sabaoth, Deus deorum & omnium virtutum, gloriose, gloriosissime pater veritatis magne & misericordiæ, princeps potestatum, pater Domini nostri Iesu Christi, benedictionem da famulo tuo nom. ill. omnibus qui ad eum pertinent. Insuper invocamus te, Deus deorum, omnipotens, Rex æternæ, qui sedis in medio duos Cherubin ac Seraphin. Resolve, Domine, si qua nobis facta sunt maleficia vel conligationes, aut si tentantur fieri, vel conligavit nos aliquis, aut devovit, aut posuit aliquid noxium in fundamentis nostris, aut ingressu, aut regressu, aut lecto, aut in ædificio, aut in exterquilinio, aut in agro, aut in atrio, aut in via, aut in semita, aut in deserto loco, aut in monumentis, aut in aqua, aut in igne, aut quolibet loco ubi scimus vel nescimus. Resolve Domine, & ne permittas aliquem nocere famulo tuo nom. illo, quacunque ad eum pertinent. Coniuro vos omnia quacunque noxia estis vel nociva, sive jam facta, sive futura, agni-

Tom. II.

ta vel incognita. Coniuro vos demones & omnis spiritus immundus per Deum timendum & tremendum & honorandum & glorificandum & enarrabile nomen, per beleoi, hadonai, eloe sabaoth, ne noceatis vel adpropinquetis ad famulum Dei nom. illo, quod ad illum pertineat, sed recedite à me, & ite singuli super capita eorum qui vos fecerunt vel dixerunt vel conscij sunt. Quicumque ille, sive vir, sive mulier, sive de qualibet gente vel natione, quos scimus vel nescimus, convertimini, & ite singuli per istam conjurationem & hoc conservatorium, per signum venturi & iudicaturi vivos & mortuos Regis Iesu Christi. Sed & virtutes cælestes & angeli Dei, qui assistatis ante conspectu Domini in cælis sanctis atque altissimis consistentes, Michael, Gabriel, Raphael, Cherubin & Seraphin, custodite omnem inscriptionem domus nostræ, & conservate famulum Dei nom. ill. quod ad eum pertineat ab omni re mala, à zelo, ab invidia, ab infirmitatibus, à demonio, ab instigationibus, vel ab omnibus tentationibus, à maleficiis, à maledicto, & ab omni malo unde scimus vel nescimus.

T t ij

Conjuro vos omnia, quaecunque noxia estis & nociva, per Deum qui divisit lucem à tenebris, & mensus est caelos palmo suo, & constituit terram sine culmina, pensavit montes in pondere & colles in libra. Conjuro vos per venturum & iudicaturum vivos & mortuos, & per Deum Israel, qui eduxit populum suum de terra Aegypti per manum suam potentem & brachium suum fortissimum, & percussit Pharaonem unà cum exercito suo. Conjuro vos per eum qui locutus est Moyfi in monte Sinai, & dedit legem & praecepta filii Israel, & satiavit aqua ex petra rupto saxo, & manna in esca tribuit. Insuper etiam conjuro vos per inseparabile nomen & tremendum patrem Domini nostri Iesu Christi, quaecunque estis noxia & nociva, sive in anima sive in corpore nocentia, agnita vel incognita, sive jam facta, si fura, conligati, sive immissa, sive ex vobismetipsis venientia docere qua-

libet modo vel qualibet arte maleficis a-nosis & indolis praesterticum sive drucoticum, sive propè sive longè, expavefcite & timete nomen Domini grande, per quod ego conjuro vos, ne noceatis vel adpropietis famulum Dei nom. illo vel quod ad eum pertinet, sed recedite ab eo, & ite singuli super capita eorum qui vos fecerunt. Pax Deus, sanitas Deus, justitia Deus, lumen Deus. Cognoscite gentes & superamini, quoniam nobiscum est Deus, & consilium sine eritis adversum nos, & develler illud Deus, quoniam nobiscum est Dominus, & sermone quemcunque locuti fueritis adversum nos, permanebit in vobis. Quoniam nobiscum est Deus, sermone vestrum non timebimus, neque conturbabit nos, quoniam nobiscum Deus. Dominum Deum adoravimus, & illi soli servimus, cui est honor, gloria, virtus, & potestas in secula seculorum. Amen.

Ad revocandum examen apum dispersum.

Ex veteri
codice MS.
S. Galli.

XI. **A**djuo te, mater aviorum, per Deum Regem caelorum, & per illum redemptorem filium Dei te adjuro ut non te altum levare, nec longè volare, sed quam plus citò potest ad arborem venire. Ibi te allocas cum omni tua genera, vel cum sócia tua. Ibi habeo bo-

no vaso parato, ubi vos ibi in Dei nomine laboretis, & nos in Dei nomine luminaria faciamus in Ecclesia Dei, & per virtutem Domini nostri Iesu Christi, ut nos non offendat Dominus de radio solis, sicut vos offendit de egalo flos in nomine sanctæ Trinitatis. Amen.

Qualiter Episcopus excommunicare infideles debeat.

XII. **E**piscopus cum excommunicare vel anathematizare aliquem infidelem pro certis & manifestis sceleribus dispositum habet, post lectionem evangelij eorum & plebem ita debet alloqui.

ALLOCVTIO.

Novent caritas vestra, fratres mei, quòd quidam vir nomine ille diabolo suadente postponens Christianam promissionem quam in baptismo professus est, per apostasiam conversus post satan, cui abrenuntiavit & omnibus operibus ejus, vineam Christi, id est, Ecclesiam ejus, devastare & depradare non pertimescit, pauperes Christi, quos pretioso sanguine suo redemit, violenter opprimens & interficiens, & bona eorum diripiens. Vnde quia filius hujus nostræ Ecclesiae, cui Deo auctore praesidemus, debuerat esse, quia in ea per aquam & Spiritum sanctum renatus est, & inter adoptivos filios Dei adnumeratus,

quamvis modò filius diaboli sit imitando diabolum, solliciti ne per negligentiam pastorem aliqua de ovibus nobis creditis deperiret, pro qua in tremendo judicio ante principem pastorum Dominum nostrum Iesum Christum rationem reddere compelleremur, juxta quod ipse terribiliter nobis comminatur dicens, *Si non annuntiaveris iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram*, misimus ad eum Presbyterum nostrum & litteras commonitorias semel & iterum atque tertio, invitantes eum canonicè ad emendationem & satisfactionem & penitentiam, corripientes eum paterno affectu. Sed ipse, prohi dolor, diabolo cor ejus indurante, monita salutaria sprevit, & incepta malitia perseverans, Ecclesiae Dei, quam læsit, superbiae spiritu inflatus, satisfacere dedignatur. De talibus itaque transgressoribus & sanctæ religionis pacifque quam Christus ipse suis discipulis de-

dit atque reliquit violatoribus præcepta dominica & apostolica habemus, quibus informamur quid de hujuscemodi prævaricatoribus agere nos oporteat. Aut enim

Matth. 18. Dominus in evangelio: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum.* Fratres, in unoquoque nostrum peccat qui in sanctam Ecclesiam peccat. Si enim sancta Ecclesia

1. Cor. 12. unum corpus est, cuius corporis caput Christus est, singuli autem sumus alter alterius membra, & cum patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, proculdubio in nos peccat qui membra nostra lædit. Iubet ergo Dominus ut frater, id est, Christianus, in nos peccans, primò secreta corripatur, deinde cum testibus redarguatur, novissimè in conventu Ecclesie publicè conveniatur. Quòd si has tres admonitiones & pias correptiones contemnit, & satisfacere despicit, post hæc

Matth. 18. fit tibi, inquit, sicut ethnicus, id est, gentilis, atque paganus, ut non jam pro Christiano, sed pro pagano habeatur. Et in alio loco membrum quod à sua compage resolvitur, & à junctura caritatis dislocatur, & omne corpus quod scandalizat, Dominus abscidi & proci juberet, dicens: *Si oculus vel manus vel pes tuus scandalizat te, erue eum, & proice à te.* Et Apostolus: *Auferre, inquit, malum à vobis.* Et item: *Infidelis si discedit, discedat.* Et in alio loco rapaces à regno Dei excludit dicens: *Neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Et alibi: *Si quis frater nominatur, & est fornicator, aut adulter, aut homicida, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere licet.* Et Iohannes dilectus præceteris Christi discipulis talem nefarium hominem salutare prohibebat dicens: *Nec ei ave dixeris, neque eum in domum receperis. Qui enim ei ave dicit, communicat operibus ejus malignis.* Dominica itaque atque apostolica præcepta adimplentes, membrum putridum & insanabile, quod medicinam non recipit, ferro excommunicationis à corpore Ecclesie abscidamus, ne tam pestifero morbo reliqua membra corporis, veluti veneno, inficiantur.

EXCOMMUNICATIO.

Igitur quia monita nostra & crebras exhortationes contemnit, quia tertio secundum dominicum præceptum vocatus ad emendationem & pœnitentiam venire despexit, quia culpam suam necdum cognovit nec confessus est, nec missa nobis legatione, qui causam ipsius exequimur, quia noster parrochianus est, veniam postula-

vit, quia in cœpta malitia, diabolo cor ejus indurante, perseverat, & juxta quod Apostolus dicit, secundum duritiam suam & cor impenitens thesaurizat sibi iram in die iræ, idcirco nos eum cum universis complicitibus & communicatoribus fautoribusque suis iudicio Dei omnipotentis, Patris, Filij, & Spiritus sancti, & beati Petri principis Apostolorum, & omnium sanctorum, necnon & nostræ mediocritatis auctoritate & potestate nobis divinitus collata ligandi & solvendi in cœlo & in terra, à pretiosi corporis & sanguinis Domini perceptione & à societate omnium Christianorum separamus, & à liminibus sanctæ matris Ecclesie in cœlo & in terra excludimus, & excommunicatum & anathematizatum esse decernimus, & damnatum cum diabolo & angelis ejus & omnibus reprobis in igne æterno judicamus, nisi forte à diaboli laqueis respiscat, & ad emendationem & pœnitentiam redeat, & Ecclesie Dei, quam læsit, satisfaciat. Et respondeant omnes tertio: *Amen.* Aut: *Fiat, Fiat.* Aut: *Anathema sit.*

Debent autem duodecim sacerdotes Episcopum circumstare & lucernas ardentes in manibus tenere, quas in conclusionem anathematis vel excommunicationis proicere debent in terram & pedibus conculcare. Post hæc Episcopus plebi ipsam excommunicationem communibus verbis debet explanare, ut omnes intellegant quàm terribiliter damnatus sit, & ut noverint quod ab illa hora in reliquum non pro Christiano, sed pro pagano, habendus sit, & qui illi quasi Christiano communicaverit, aut cum eo manducaverit aut biberit, aut eum osculatus fuerit, vel cum eo colloquium familiare habuerit, nisi forte ad satisfactionem & pœnitentiam eum provocare studuerit, aut in domo sua eum receperit, aut simul cum eo oraverit, proculdubio similiter sit excommunicatus. Deinde episcopo Presbyteris per parrochiam mittantur, continentes modum excommunicationis, in quibus jubetur ut dominicis diebus post lectionem evangelij plebibus sibi commissis publicè annuntient ipsam excommunicationem, ut ne quis per ignorantiam communit excommunicato. Oportet etiam ut aliis Episcopis ipsa excommunicatio manifestetur. Præcipit enim Toletanum Concilium ut invicem mox scripta percurrant per omnes provincias Episcopos, quoscunque adire potuerint, ut excommunicatus audiatur. Seniori etiam ejus ipsa excommunicatio debet nota fieri.

Concil.
Tolet. 1.
c. 11.
Vide Capitula Karlo-
manni tit.
3. c. 5.

Item alia excommunicationis allocutio.

XIII. **A** Vidistis, dilectissimi, quantæ & quam horrenda pravitatis ac iniquitatis opera ille à diabolo infligatus perpetrare non timuerit, & quomodo per apostasiam à totius Christianæ religionis cultu profana mente recesserit. Audistis quemadmodum canonicè ad satisfaciendum evocatus sit, sed venire distulerit, quomodo frequenter admonitus ut resipisceret à laqueis diaboli, quibus tenetur adstrictus, saluberrimas admonitiones obturatis auribus cordis audire contempserit. Dominus dicit in evangelio de tali contumaci fratre, qui Ecclesiasticam renuit suscipere correptionem, *Si Ecclesiam non audierit, sic tibi*, inquit, *sicut ethnicus & publicanus*; id est, jam non est computandus inter Christianos, sed inter paganos. Hinc Paulus, Domini & Magistri doctrinam sequens, Corinthios redarguit quare cum criminosis ac sceleratis communionem haberent, dicens: *Vos inflati estis, & non magis lactum habuistis, ut tollatur de medio vestrum*; id est, separatur à vestro consortio qui tale scelus operatus est. Et adjungit: *Ego quidem absens corpore, presens autem spiritu, jam judicavi ut presens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini mei Jesu tradere hujusmodi satanae in interitum carnis*. Et post pauca: *Scripti vobis ne commisceamini fornicariis*. Et statim infert: *Si quis frater appellatur, id est, Christianus, & fornicator est aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere*. Et ahibi: *Au-*

ferre malum ex vobis. Et: Infidelis, si discedit, discedat. Vna enim ovis morbida omnem gregem contaminat, & modicum fermentum totam massam corrumpit, & plerumque unum membrum putridum totum corpus inficit. Et ideo tam perniciose pestis à corpore Ecclesiæ radicitus evellatur.

Excommunicatio.

Dominicus igitur atque apostolicis informati præceptis, judicio Patris & Filij ejus Domini nostri Jesu Christi & Spiritus sancti, auctoritate & potestate Apostolis Apostolorumque successoribus à Deo concessa, unâ vobiscum prædictum pessimum virum à liminibus sanctæ matris Ecclesiæ excludimus & ab omni societate & communionem Christiana separamus, separatimque esse in æternum decernimus, id est, in præsentis seculo & in futuro. Nullus Christianus ei ave dicat, aut eum osculari præsumat. Nullus Presbyter cum eo Missam celebrare audeat vel sacrosanctum corpus & sanguinem Domini tradere. Nemo ei jungatur in consortio, neque in aliquo negotio. Et si quis ei se sociaverit & communicaverit ejus operibus malignis, noverit se simili percussum anathemate, his exceptis qui ob hanc causam ei junguntur ut eum revocent ab errore & provocent ad satisfactionem, nisi fortè resipuerit, & Dei gratia inspirante ad penitentiam remedium conversus fuerit, & digna emendatione Ecclesiæ Dei, quam læsit, humiliter satisfecerit.

Item alia terribilior excommunicatio.

XIV. **C** Anonica instituta & sanctorum patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei violatores, videlicet raptores, deprædatores, & homicidas illos in nomine Patris & Filij & in Spiritus sancti virtute, necnon auctoritate Episcopis per Petrum principem Apostolorum divinitus collata, à sanctæ matris Ecclesiæ gremio segregamus ac perpetuæ maledictionis anathemate condemnamus. Sintque maledicti in civitate, maledicti in agro, maledictum horreum eorum, & maledictæ reliquiæ illorum, maledictus fructus ventris eorum, & fructus terræ illorum. Maledicti sint ingredientiæ, & maledicti sint egredientes, sintque in domo maledicti, in agro profugi; veniantque super eos omnes illæ maledictiones quas Dominus per Moysen in populum divinæ legis prævaricatorem se esse missurum intentavit; sintque anathema maranatha, id est, pereant in secundo adventu Domini. Nullus eis Christianus ave dicat. Nullus Presbyter Missam celebrare præsumat, vel sanctam communionem dare. Sepultura asini sepeliantur, & in sterquilinum sint super faciem terræ. Et sicut hæ lucernæ de manibus nostris projectæ hodie extinguuntur, sic eorum lucerna extinguatur, nisi fortè resipuerint, & Ecclesiæ

Dei, quam laeserunt, per emendationem & condignam poenitentiam satisfecerint.

Excommunicatio brevis.

Canonica instituta & sanctorum patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei vio-

latores illos auctoritate Dei & iudicio sancti Spiritus a gremio sanctae matris Ecclesiae & consortio totius Christianitatis eliminamus, quousque resipiscant & Ecclesiae Dei satisfaciant.

Excommunicatio hominum Balduini Comitis Flandriae propter occisionem Fulconis Archiepiscopi Remensis ab illis perpetratam.

XV. **A**Nno nongentesimo dominicae incarnationis, pridie Nocturnae Iulij, primo scilicet die quando ordinatus est Heriveus in archiepiscopatu Remensi Episcopus, lecta est excommunicatio haec quae sequitur in Ecclesia sanctae Mariae Remis, praesentibus Episcopis infra scriptis.

Heriveus nomine non merito Remorum Archiepiscopus ac plebis Dei famulus, Wido Rotomagensem Archiepiscopum Riculfus Sueffionum Episcopus, Heido Noviomagensium Episcopus, Dodo Cameracensium Episcopus, Herinardus Morinensium Episcopus, Orgarius Ambianensium Episcopus, Honoratus Belvacensium Episcopus, Mancio Catalaunensium Episcopus, Rodulfus Laudunensium Episcopus, Otridus Silvanectensium Episcopus, Angelrannus Meldensium Episcopus. Notum sit omnibus ubique sanctae Dei Ecclesiae fidelibus tam Clericis quam laicis quod nos & commissa nobis omnis Ecclesia nimia perturbatur tristitia pro inaudita re post persecutionem temporis Apostolorum eorumque successorum, de occisione nimirum patris & pastoris nostri Fulconis ab impiis impiè perpetrata, qui pro regni utilitate & totius sanctae Ecclesiae statu pro viribus die noctisque defudans, ac seipsum in defensione omnium Ecclesiarum in hoc regno consistentium murum protectionis opponens, (Res enim earum a Balduino Comite filio Balduini ac Iudith contra omnem legem & divinam & humanam pervadebantur) ideo ab ipsius Balduni hominibus Winemar, Euverardo, & Ratfrido, ceterisque eorum complicitibus interfectus crudelissime occubuit. De ejus morte totius Ecclesiae ordo atque professio merito contristatur, & lamenta compassionis ex intimis cordium suspiriis emittit. Quia igitur tale scelus nostris temporibus perpetrare non timuerunt quod antea, nisi forte a paganis, in Ecclesia non auditum, quia non

est actum, in nomine Domini & in virtute sancti Spiritus necnon auctoritate Episcopis per beatum Petrum principem Apostolorum divinitus conlata, ipsos a sanctae matris Ecclesiae gremio segregamus ac perpetuae maledictionis anathemate condemnamus, ut eorum aliquando per hominem non fiat recuperatio, nec ulla inter Christianos conversatio. Sintque maledicti in civitate, maledicti in agro. Maledictum horreum eorum, & maledictae reliquiae eorum. Maledictus fructus ventris eorum, & fructus terrae illorum. Armenta bouum suorum, & greges ovium suarum. Maledicti sint ingredientes & egredientes. Sintque in domo maledicti, in agro profugi. Intestina in secessum fundant, sicut perfidus & infelix Arrius. Veniantque super illos omnes illae maledictiones quas Dominus per Moysen in populum divinae legis praevicatore se esse missurum intentavit. Sintque anathema maranatha, & pereant in secundo adventu Domini. Insuper quicquid maledictionis sacri canones & apostolicorum virorum decreta decernunt super homicidis & sacrilegis. Nam illos sacrilegorum nomine notamus qui in hunc Christum Domini manum mittere ausi sunt. Omne super illos ac perpetuum interitum per iustissimam divinae animadversionis sententiam congeratur. Nullus ergo eis Christianus vel ave dicat. Nullus Presbyter Missas aliquando celebrare, nec, si infirmati fuerint, confessiones eorum recipere, vel sacrosanctam communionem eis, nisi resipuerint, etiam in ipso fine vitae suae praesumat unquam dare; sed sepultura a fini sepeliantur, & in sterquilinum super faciem terrae sint; ut sint in exemplum opprobrij & maledictionis praesentibus generationibus & futuris. Et sicut haec lucerna de nostris projecta manibus hodie extinguitur, sic eorum lucerna in aeternum extinguatur.

Excommunicatio Ragenardi Comitis Senonensis, renovata adversus Gauzfridum & Geilonem Canonicos Senonenses.

XVI. **I**mmensus dolor nos urget ad gemitum, ac indicibilis meffitia commovet ad fletum, quando illos quos passio Christi à jugo diaboli redemit, & à sordibus peccatorum facer baptismus purificavit, & Ecclesie catholice corpori sociavit, nunc iterum se ipsos sponte antiquo hosti subdere videmus, & non solum membris Christi persecutionem inferre, sed etiam contra ipsum totius creature auctorem & dominum bellum moliri. Qui enim sacrosanctae Ecclesie structores atque defensores esse debuerunt, modò venenato diaboli furore vexati, atque ferina rabie concitati, omni timore Domini postposito, & remedio penitentiae neglecto, Ecclesias in Dei honore ac perpetuae virginis Mariae sanctique Stephani dicatas lacerare ac sine pastore esse non pertimescunt, violenter usurpantes ea unde sancta Dei debet restaurari Ecclesia. Ammonemus etiam & ammonendo adjuramus ut incorrigibiles, & qui pestiferis & flagitiosis moribus sunt inrethi, sicut à bonis moribus sunt alienati, ita & à consortio fidelium fiant extranei. Igitur cognoscat universalis Ecclesia hostes severissimos & tyrannos improbos, adversarios & persecutores pessimos sanctae Dei Ecclesiae, Ragenardum Gauzfridum atque Geilonem

& Rodmundum ejus filium, eorumque

Canonicos, praecceptorum

commilitones, ecclesiasticarum rerum Dei contemptores, sanctorum canonum transgressores, pastoris sui contradictores,

perversos, quos ab ipso summo pastore Christo & beatissima ejus matre Maria, atque beato Petro Apostolorum principe, cuius, quamvis indignus, auctoritate & magisterio fungor, nisi citissime se emendaverint & satisfaciendo commissa fideliter restituerint, eos cum omnibus sanctis in caelo meritis viventibus & in terra miraculis fulgentibus obligamus, & à nobis secundum potestatem nostrae pravitati concessam ligandi atque solvendi excommunicamus

atque anathematis gladio transfigimus. Deinde excommunicamus G. a. u. z. f. r. i. d. u. m, G. e. i. l. o. n. e. m, Grobertum Diaconem, qui meum injustè usurpat-archidiaconatum, Wangerium, Arricum, postea verò Ansellum, item Ansellum, Hugonem, Ansegisum, Balduinum, Hos & omnes qui postquam archiepiscopalem susceperunt benedictionem, sanctum Senensis Ecclesiae locum ingredi non permiserunt more antecessorum meorum, desistentes à veritate, adherentes mendatio, insuper anathematizamus per Patrem & Filium & per Spiritum sanctum & per auctoritatem nobis à Deo concessam, ut nullam Christianorum habeant portionem, Ecclesiamque Dei non ingrediantur, neque Missa eis ab aliquo celebretur, nisi eidem poenae voluerit subjacere. Nulla pro eis vel pro illorum offensis, nisi satisfecerint, fiat oblatio vel commemoratio. Non thuris neque incensae, sed neque sacri luminis, carne viventes vel morientes portionem accipiant, sed cum pravis & contra Deum tumentibus sanctisque lacerantibus fiat pars & hereditas eorum ignis indeficiens & cruciatus perpetuus. Maledicti sint in civitate, maledicti in agro. Amen. Maledicti sint in domibus, maledicti sint in villis. Amen. Maledicti in saltibus, maledicti in aquis. Amen. Maledicti sint in vicis, maledicti in plateis & in omnibus locis. Amen. Nisi correcti existant, multiplici maledictione induantur. Amen. A nemine sacerdotum in articulo mortis visitentur, neque in cimiteriis Christianorum sepeliantur, sed velut cadavera foetida proiciantur. Amen. Maledicta sint horrea eorum, & maledicta sint reliquiae illorum. Amen. Maledicti sint ingredienti & egredientes. Amen. Percutiet eos Dominus egestate, febris, & frigore, & aestu, & persequatur donec pereant. Amen. Sicut haec lucerna extinguitur in oculis hominum, sic extinguantur lucernae eorum in perpetuum. Amen.



Excommunicatio

*Excommunicatio quam Suniarius Episcopus Helenensis fecit
adversus invasores rerum ecclesiasticarum.*

Ex Chartu-
lario Eccle-
siae Helle-
nensis.

XVII. **Q**uamvis igitur sint aliqui in cursu hujus declivi temporis qui propter desiderium regni caelorum Christo favente à noxiis vitiorum fordibus se abstrahant & ad compunctionem laudabilem assidue se provocent, tamen è contrà existunt plures Ecclesiae catholicae inimici, qui instinctu diaboli tamdiu se pestilentissimis damnabilis cloacae foetoribus praefocant quandiu rei & nudi in profundissimis gehennae flammis aeterna damnati morte descendant, nihil secum praeter peccata portantes. Hujus rei causa extant quidam pervasores sanctae matris Ecclesiae, qui se fatentur Christianos esse, & non sunt, sed sunt synagoga satanae, videlicet quia iustitiam Dei deserentes, & suam volentes constituere, iustitiae Dei non sunt subiecti, sed substantias sanctarum Ecclesiarum, ac si immanissimi lupi, rapientes, corpora & animas suas diabolo tradere non dubitavere, inretiti laqueis illius. Quapropter ego Sugnerius favente larga clementia Christi Episcopus sanctae sedis Helenensis excommunico & anathematizo cum clero mihi commisso tam viros quam mulieres, tam Clericos quam laicos, eos videlicet, & Volveradus Levita, qui ausi fuerunt intrudere & invadere substantias seu parochias quae ad sedem sanctae Eulaliae seu dioecesim pertinere videntur, quae sunt in comitatu Valle Asperi & in comitatu Confluenti, ita ut excommunicati & abominati permaneant & sequestrati à liminibus sanctae matris Ecclesiae, nisi ad satisfactionem & emendationem infra istos octo dies venerint, & Ecclesias quas violenter rapuerunt ad sedem sanctae Eulaliae reddiderint, & honorem & debitum & censum qui mihi ex ipsis Ecclesiis debetur reddiderint. Presbyteros etiam ipsarum Ecclesiarum, qui baptizare vivos, vel sepelire mortuos, aut Missas canere, vel aliquod sacrum ministerium in eis extra voluntatem meam facere ausi fuerint, simili modo excommunico & anathematizo, ita ut non habeant licentiam baptizare quemquam, vel sepelire, ad Missas canere, vel aliquod sacrum mi-

nisterium celebrare, usque ad satisfactionem & emendationem veniant. Ab hoc igitur anathematizationis & excommunicationis vinculo excludimus Olibanum Comitum & Mironem fratrem ejus Episcopum, cenobium etiam sancti Michaelis & omnes habitantes in eo, & cenobium sanctae Mariae in Valle Asperi, ita tamen ut non recipiant illos, neque habeant cum eis colloquium, aut ullam participationem, quos nos excommunicamus. Quod si fecerint, in eodem excommunicationis & anathematizationis vinculo permaneant. Ab hodierna igitur die constituimus eis terminum usque ad octo dies, ut veniant ad satisfactionem, & congruam emendationem, omnes qui Ecclesias dioecesis sanctae Eulaliae sine voluntate mea, id est, Sugnerij Episcopi, invadere aut tenere praesumpserint vel praesumunt, & honorem & debitum & censum qui mihi ex ipsis Ecclesiis debetur reddiderint. Sin autem emendare noluerint, omnes personae, sive laici, sive Presbyteri, sive feminae, qui contra voluntatem meam injustè tenere Ecclesias & censum earum, sicut jam diximus, praesumpserint, quae sunt dioecesis sanctae Eulaliae, vel Presbyteri qui in eas aliquod sacrum ministerium super excommunicationem meam celebrare praesumpserint, & omnes consentientes & adjuutores eorum, sint anathema maranatha, & sint excommunicati, & à liminibus sanctae matris Ecclesiae expulsi, & à consortio omnium sanctorum extranei, & à corpore ac sanguine Domini nostri Iesu Christi alieni, & à consortio Christianae religionis segregati, nisi ad dignam poenitentiam atque satisfactionem infra superscriptum tempus coram Deo & coram me venerint, cujus vicem veri pastoris fungimur, quamvis indigni. Quem & supplices deprecamur ut oris nostri alloquio aures pietatis accommodans, quos excommunicamus excommunicet, & quos anathematizamus anathematizet, unus & verus Deus Dominus noster Iesus Christus, qui venturus est judicare vivos & mortuos & seculum per ignem. Amen.



*Excommunicatio quam Salla Episcopus Vrgellensis fecit adversus
invasores rerum ecclesiasticarum.*

Ex archivo
Ecclesie
Vrgellen-
sis.

XVIII. **V**niversis Episcopis circumquaque ubique manentibus per quadrifida climata cosimi, Sanlanus Dei gratia humilis sanctae sedis Vrgellensis Episcopus. Gratia vobis & pax à Deo semper multiplicetur. Vestris aurbus, ô sanctissimi patres, nostra lingua nequit effari nec litteris comprehendi quantas & quales persecutiones nobis à pravis & perversis hominibus cotidie inferuntur. Ad tamen, necessitate cogente, vel pauca de multis vobis intimare satagimus. Anno denique praesenti nongentesimo nonagesimo primo trabationis dominicae emerferunt se viri iniqui ad destruenda ecclesiastica jura, ut everterent animos Principum qui videntur terere vel regere terras vel comitatus dioeceseos Ecclesiae nostrae principalis genitricis videlicet Domini nostri almae Mariae, cui Deo auctore deserimus. In tantum exerevit malitia eorum ut ad illorum suasionem Comites vel Principes nostri vi auferrent à nobis & ab Ecclesia cui largiente Christo praesidemus omnes dioeceseas Ecclesias & omnem censum quod jure episcopali debetur exsolvere nobis de duobus comitatibus integris, Cerdaniensem scilicet & Berchitanum, nulla culpa super nos existente, sed semper cum humilitate ac satisfactione requisivimus eos. Et non solum easdem Ecclesias suffraganeas abstulerunt, sed insuper ipsas fruges omnes vel decimas quas praeterito anno Dominus ibidem dedit, necnon & nostros ministeriales exinde cum vi expulerunt. Ob id denique obsecramus nimium sanctitatem culminis vestri ut ipsos nefandos homines, qui animos Principum vel Comitum ad hoc nefas excitaverunt, id est, Arnaldum & Radulfum, excommunicare ne differatis, necnon & omnes sequaces eorum, simul & ipsas Ecclesias omnes cum illorum terminos qui sunt in supradictis comitatibus, ita ut nullus Episcopus, nullus Presbyter, nullus Diaconus, nullus Clericus, cujuscumque sit ordinis, audeat ibi ullum ministerium ecclesiasticum facere vel celebrare usque ad legitimam satisfactionem vel emendationem veniant, & ipse episcopatus canonicè sit redditus Ecclesiae generali cui à Deo est adtributus, & in dicti rei de me Sanlane Episcopo absolutionem accipiant. Sanè ipsam Comitissam Ermen-

gards cum filios & filias suas ab hac excommunicatione excludimus & separamus atque sequestramus, & volumus atque nostra absolutione firmamus ut in qualicumque Ecclesia in comitatibus venerint, licitum sit illis ibidem orare & Missas audire & divinum officium celebrare, ipsaeque Ecclesiae tamdiu sint solatae quandiu illi Comites & illa Comitissa intus perfliterint. Excommunicationem quoque taliter in conspectu vestro volumus fieri sicut subter insertum est, vobis in eadem consentientibus vel subscribentibus. Sanctam itaque individuum invocantes Trinitatem, auxilium quoque omnium sanctorum nobis petentes, exoramus ut Arnaldum & Radulfum, qui animos Comitissae Ermergardis vel animos filiorum illius ad hoc incitarunt ut auferrent episcopatum Cerdaniensem vel episcopatum de Berchitano de jure vel ditione sanctae Mariae sede Vico vel de potestate Sallani Episcopi, & omnibus in hoc errore consentientibus, Dominus sua virtute comprimere eos & brachia illorum alligare dignetur. Sequentes quoque apostolicam sententiam, eos & omnes sequaces eorum à liminibus sanctae Dei Ecclesiae sequestramus, & à corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi separamus, & ab omni consortio sanctae religionis Christianae disrumimus ipsos & omnes quicumque partibus illorum consenserint aut illis adiutorium praebuerint. Ab hodierno die & deinceps maledicti & excommunicati permaneant usquequo ad satisfactionem veniant aut venire voluerint. Si quis verò superbus aut contumax huic nostrae definitioni assentire noluerit, vel hanc excommunicationem observare neglexerit, hunc divinum zelo accensi cum Iuda Domini proditore aeterna punitione sub anathematis vinculo, nisi resipuerit, in inferno damnatum contradimus. Qui verò hujus excommunicationis pro Dei timore observator extiterit, gratiam & misericordiam à Domino nostro Iesu Christo consequatur. Amen. Salla gratia Dei Episcopus Orgellensis huic statuto nostro, in quo totam causam Dei iudicio commisimus, subscribimus & confirmamus. Aimericus Episcopus Ecclesiae Ripacurcensis hanc constitutionem confirmavi atque subscripsi.

Item de eadem re.

Ex eodem.

XIX. **O**Rthodoxorum catholicorum patrum divinitusque inspiratorum canonum promulgavit auctoritas per universas provincias pro ingruentibus ecclesiasticis fluctuationibus ut nullus Episcopus, sacerdos, aut aliquis fidelis ordo ecclesiasticus se presumat vindictam exercere in armis carnalibus, nisi tantum in oratione & virtute Spiritus sancti & canonica damnatione feriat. Quod autem sedes Episcoporum & thronus speculationum & potestas iudicandi & solvendi atque ligandi à Domino est illis data atque concessa, sicut ipse Salvator in evangelio ait: *Quaecunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in caelo; & quaecunque solveritis super terram, erunt soluta & in caelo.* Et alibi: *Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittantur eis. Et quorum retinueritis, retenta sunt.* Ideo ista praecolumus, carissimi, ut intelligatis potestatem Episcoporum vestrorum, in eisque Deum venerimini, & eos ut animas vestras diligatis, & quibus illi non communicant non communicetis, & quos ejecerint non recipiatis. Multum enim timenda est sententia eorum, quia à Domino collata est illis potestas ligandi atque solvendi. Ob hoc igitur ego Salla indignus, non meis meritis, sed nutu Dei Episcopus, tanta audita sanctorum patrum canonum instituta, cum consensu & adiutorio Domini Vivani Barchinonensis Episcopi, seu etiam Domini Aimerici Episcopi, cum Canonicorum & sacerdotum nostrorum necnon & Abbatibus vel monachorum suffragia, accensi flamma Spiritus sancti, excommunicamus atque alligamus omnem episcopatum Cerdanienfis vel Berchitanensis ad Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & omnes Ecclesias quae in dictos comitatos sunt, tam praecipuas quam suffraganeas qui infra ejus termines sunt, ut non habeat ibidem nullum ministerium sacerdotale factum nisi per nostra absolutione aut per

nostra propria voluntate de feria tertia post Dominicam primam de quadagesima inantea usquequo praedictus episcopatus redditus sit ad sancta Maria & in nostra sit potestate cum ipsas parrochias quod nobis abstulerunt vel rapuerunt & cum ipsos oblatos qui exinde exierunt. Veruntamen sciatis quia ipsa Comitissa Domina Emergards cum filios & filias suas nec excommunicamus, nec nullius vinculo canonice damnationis contra eos facimus, sed tantum omnes homines tam Clericos quam laicos qui hanc malitiam tractaverunt adversus sancta Dei Ecclesia, & consilium dederunt ad ipsa Comitissa & filios suos de hunc maximum peccatum, & vastatores fuerunt atque raptores & fraudatores vel sacrilegi & fures, sicut Iuda proditor. Hos tales praesumptores & Ecclesiis sanctae Mariae raptores, vel suarum facultatum alienatores, excepto ipsa Comitissa cum filios suos, nos supradicti Salla Praeful & Vivas gratia Dei Episcopus & Aimericus Episcopus cum Canonicorum & sacerdotum nostrorum, sive cum Abbatibus vel suffragia monachorum, excommunicamus eos ad Patrem & Filium & Spiritum sanctum & per omnes ordines angelorum & archangelorum & omnes virtutes caelorum, sive per omnes Patriarchas & Prophetas, & per omnes Apostolos & Martyres vel Confessores, & per omnes sanctos Dei sic eos excommunicamus & anathematizamus atque abominamus & alienamus eos atque abjicimus à liminibus sanctae Dei Ecclesiae, & segregamus eos à corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi & à consortio Christianorum fidelium usque ad dignam satisfactionem & emendationem veniant ante altare sanctae Mariae sedis Vico & coram Salla Episcopo & Canonicos ejus, & usque absolutionem habeant de supradicto Salla Episcopo, ita permaneant excommunicati & abominati sicut jam supra dictum est in secula seculorum. Amen.

Alia formula excommunicationis, diversa à superioribus.

XX. **E**X auctoritate Dei omnipotentis Patris & Filij & Spiritus sancti, & sanctorum canonum, sanctæque & intemeratæ virginis Dei genetricis Mariæ, atque omnium cœlestium virtutum, angelorum, archangelorum, thronorum, dominationum, potestatum, Cherubin ac Seraphin, & sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, & omnium Apostolorum & Evangelistarum, & sanctorum innocentium, qui in conspectu agni soli digni inventi sunt canticum cantare novum, & sanctorum martyrum, & sanctorum confessorum, & sanctarum virginum, atque omnium simul sanctorum & electorum Dei, excommunicamus & anathematizamus hunc furcm, vel hunc malefactorem, & à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ sequestramus, ut æternis suppliciis cruciandus mancipetur cum Dathan & Abiron, & cum his qui dixerunt Domino Deo: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Et sicut aqua ignis extinguitur, sic extinguatur lucerna ejus in secula seculorum, nisi respuerit & ad satisfactionem venerit. Amen. Maledicat illum Deus Pater, qui hominem creavit. Maledicat illum Dei Filius, qui pro homine passus est. Maledicat illum Spiritus sanctus, qui in baptismo effusus est. Maledicat illum sancta crux, quam Christus pro nostra salute hostem triumphans ascendit. Maledicat illum sancta Dei genetrix & perpetua virgo Maria. Maledicat illum sanctus Michael, animarum susceptor sacrarum. Maledicant illum omnes angeli & archangeli, principatus & potestates, omnisque militia cœlestis exercitus. Maledicat illum Patriarcharum & Prophetarum laudabilis numerus. Maledicat illum sanctus Iohannes præcursor & baptista Christi præcipuus. Maledicat illum sanctus Petrus & sanctus Paulus atque sanctus Andreas, omnésque Christi Apostoli,

simul & ceteri discipuli, quatuor quoque Evangelistæ, qui sua prædicatione mundum universum converterunt. Maledicat illum cuneus martyrum & confessorum mirificus, qui Deo bonis operibus placitus inventus est. Maledicant illum sacrarum virginum chori, quæ mundi vana causa honoris Christi respuenda contempserunt. Maledicant illum omnes sancti qui ab initio mundi usque in finem seculi Deo dilecti inveniuntur. Maledicant illum cœli & terra & omnia sancta in eis manentia. Maledictus sit ubicunque fuerit, sive in domo, sive in agro, sive in via, sive in femita, sive in silva, sive in aqua, sive in Ecclesia. Maledictus sit vivendo, moriendo, manducando, bibendo, esuriendo, sitiendo, jejunando, dormitando, dormiendo, vigilando, ambulando, stando, sedendo, jacendo, operando, quiescendo, mingendo, cacando, flebotomando. Maledictus sit in totis viribus corporis. Maledictus sit intus & exterius. Maledictus sit in capillis, maledictus sit in cerebro. Maledictus sit in vertice, in temporibus, in fronte, in auriculis, in superciliis, in oculis, in genis, in maxillis, in naribus, in dentibus mordacibus, in labris, sive molibus, in labiis, in gutture, in humeris, in armis, in brachiis, in manibus, in digitis, in pectore, in corde, & in omnibus interioribus stomacho tenus, in renibus, in inguinibus, in femore, in genitalibus, in coxis, in genibus, in cruribus, in pedibus, in articulis, & in unguibus. Maledictus sit in totis compaginibus membrorum; à vertice capitis usque ad plantam pedis non sit in eo sanitas. Maledicat illum Christus filius Dei vivi toto suæ majestatis imperio; & insurgat adversus eum cœlum cum omnibus virtutibus quæ in eo moventur, ad damnandum eum, nisi penituerit & ad satisfactionem venerit. Amen. Fiat, fiat. Amen.

FINIS FORMVLARVM.